

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QVA

L O C V S

EPIST. AD PHILIPP. C. II, I. 2.

A

TAVTOLOGIAE VITIO  
LIBERATVR

---

QVAM

CONSENTIENTE

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

PRAESIDE AC PROMOTORE

V I R O

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO

D O M I N O

IOANNE FRIEDERICO STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE OECONOMIAE

POLITICAE ET CAMERALIVM PROFESSORE

ORDINARIO

FAVTORE AC PRAECEPTORE

EXIMIO OMNIQVE ANIMI

ADFECTV COLENDO

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

D. XXIV. DECEMBER. A. MD CC LIII.

T V E B I T V R

AVCTOR

IOAN. HENR. SCHMID

FRISO-ORIENT.

---

H A L A E

EX OFFICINA GVRTIANA.

DISERTATIO IN ACADEMIA PHILOSOPHICA

1772  
L O O V E

ERST. AD PHILIP. C. H. L. S.

TAVTORFIAE VITIO  
LIBERALIVM

AMMISSIONE PHILOSOPHICAE  
PRAESIDE AC PROMOTORE

W. R. O.  
PRAESIDE PHILOSOPHICAE AMMISSIONE

IOANNE FRIEDERICO STEINER

PHILOSOPHICAE AMMISSIONE  
POLITICAE ET COMMERCII

TAVTORFIAE AC PRAESIDE  
EXIMIO OMNIVM

PRO SVMMISSA PHILOSOPHIA HONORATA  
RITE CAPSSENDIS

IN XAV. DECEMB. A. M. D. C. C. LXXII

AVCTOR  
IOAN. HENR. SCHMID

H. A. L. A. T.  
EX OFFICINA GVEITIANA



VIRI  
AMPLISSIMI AC DOCTISSIMI  
**GERHARDI HENRICI  
SCHMID**

CAVSSARVM APVD FRISIOS ORIENTALES PATRONI  
CONSULTISSIMI, PRAEFECTVRAE BERVMENSIS  
ADVOCATI ORDINARI;

**PARENTIS**

SVI INDVLGENTISSIMI

VIRTVTVM, DISCIPLINAE ATQVE  
AMORIS

QVO

IPSVM MIRIFICE COMPLEXVS  
EST VSQVE ADHVC

**MEMORIAM**

HAC QUALICVMQVE SCRIPTIONE  
AGADEMICA,

EA,

QVA PAR EST PIETATE ET OBSERVANTIA  
CONSECRARE;

SIMVL QVE

PRO

OMNI QVOD IN IVVENTVTE

SVA MODERANDA

STVDIVM POSVIT NON

OBSCVRVM,

SOLLEMNI HAC GRATIARVM ACTIONE

VOTISQVE

PRO

INCOLVMITATE EIVS AC VIRTIVVM FRVCTV AD

SVMMAM SENECTVTEM PERENNI,

GRATISSIMA MENTIS ADFECTIONE

PROSEQVI ALIQVANTVM

STVDET

OBSERVANTISSIMVS FILIVS

IOAN. HENR. SCHMID.



DISSERTATIO INAUGVRALIS PHILOLOGICA  
<sup>QVA</sup>  
LOCVS  
EPIST AD PHILIPP. C. II, 1, 2.  
A  
TAVTOLOGIAE VITIO  
LIBERATVR

§. I.



Paulina, quae in ep. ad Philippenses cap. II, 1, 2. Instructi-  
legitur ad concordiae studium adhortatio exponi-  
tur. tot verborum ponderibus concepta, et  
tot argumentis firmata est, vt nulli dubite-  
mus, quin ea inter notatu digniora totius  
epistolae ab attento litterarum scrutatore referatur.  
Quum itaque nunc in eo simus, vt quaecumque pro-  
fectuum nostrorum specimen eruditorum exponamus  
oculis, non inutilem nos suscepturos esse laborem iudi-  
caui-

A

cauimus, si, pro virium nostrarum modulo angustisque temporis cancellis, in eandem paulo adcuratius inquireremus, id operam imprimis daturi, ut tum late patentem eius sensum etueremus, tum vero etiam eam ab obiecto *ταυτολογίας* vitio liberaremus. Faxit modo Deus, ut in omnem ducamur veritatem!

## §. II.

Connexio  
nostri tex-  
tus cum an-  
tecedenti-  
bus ostenditur.

Non immorabimur nunc commemorandis iis, quae generatim de praestantissima ad Philipenses epistola dici possent, quam ea satis superque ex multis viro- rum eruditorum scriptis hauriri queant. Nos potius ea saltim breuiter exponemus, ex quibus intelligitur, quomodo diuus Paulus ad hanc adhortationem delatus sit. Quamuis scilicet Philipenses ad Christum conuersi optime se gesserint cap. I, 3. 4. 7. c. IV, 1. et Paulum quoque impense amauerint cap. IV, 15. eaque propter ab hoc valde adprobati sunt: cap. I, 3-5. homines tamen erant et manebant, qui tam segnescere, aut ad priora omnino reuerti, quam maiora in dies in bono incrementa capere poterant, et hinc continuis calcaribus, ut, qua coeperant via, diligenter pergerent, opus habebant. Nihil igitur gentium apostolus sibi prius nihilque antiquius esse fuit, quam ut, praemissa inscriptione cap. I, 1. 2. et relatione de sua conditione c. I, 3-26. per maiorem epistolae ad ipsos datae partem et ad constantiam in genere c. I, 27-30. et ad varia officia adhortaretur c. II, 1. c. IV, 9. Selegit autem vir *Σεπτιμύσιος*, qui se nunquam non prudentem fidelemque Christi ministrum et myste-



mysteriorum diuinorum dispensatorem praestitit i Cor. IV, 1. ea potissimum, quae Philippensibus admodum necessaria iudicabat. Confidimus, nos lectoribus nostris haec facile persuasuros esse, si apud animum suum perpendere velint. 1) Paulum dedisse hanc epistolam ad illam ecclesiam, quam ipse plantauerat, quae omnium fere florentissima erat, quamque singulari prorsus amore prae multis aliis complectebatur; 2) dedisse eam in vinculis, quae Romae patiebatur, ob impensissimum studium, quod ad glorificandum in animis hominum Christum impenderat; 3) dedisse eam ad illam ecclesiam, quae omnium optime de ipso merita, et propter id quod captiuus detineretur sollicita erat, dum Epaphroditum, ipsum inuisurum, eumque subleuaturum, vna cum donis haud spernendis, transmiserat; 4) dedisse denique ad eos, qui rerum suarum conditionem, per eundem Epaphroditum sibi exponi, ipsumque, quid ad progressus in Christianismo faciendos optimum videretur, cum variis calamitatibus premerentur, atque a compluribus pseudapostolis, ex Iudaismo ortis, infestarentur, consuli iusserant. Quis dubitabit, Paulum, spiritu sancto ardentissimis precibus inuocato, et dein moderatore, eo omnem attentionem, omnes curas conuertisse, vt ea praescriberet, quae Philippensibus, pro rerum suarum indole maxime salutaria esse poterant? Et profecto, si quis ad ipsam huius epistolae lectionem animo attento accesserit, re ipsa deprehenderit, ea commendari, quibus verus Christi ciuis, ad perfectionem contendens, minime carere potest, et quae Philippensium necessitati- bus egregie inseruiebant. Quum nostrum nobis institu-

tum non permittat, singula vt lustremus in praesenti, missis reliquis illud contemplabimur, quod primo loco collocat Cap. II, 1. 2. quo ad consensum in religionis capitibus, quem mutua animorum consensione obtineri vult, adhortatur. Recte vero ab hac adhortatione fecit initium, partim quod paullo ante ad constantiam in bono ipsos excitauerat, partim quod, ei morem gerentes, omnium felicissime falsis doctoribus obsistere, eorumque conatus irritos reddere poterant. Si enim perseverantiam in bono intuearis, nihil ei magis obesse potest, quam si homines in partes scinduntur, ab amore mutuo discedentes, adfectuumque tumulvui se permittentes, nihil interea de tenendis, quae adquisuerunt, bonis, et multo minus de augendis cogitantes. Quod longe aliter se habet, si plures idem sentiunt, omnes in mutuos amplexus ruunt, aequaliue adfectu erga se inuicem sunt animati, vnde iamdiu in prouerbium abiit, *concordia principiorum scilicet atque animorum, res paruas crescere, magnas vero dilabi*. Testis est historia ecclesiastica, quae docet luculenter, Christi ciues numquam magis suam constantiam in tenenda veritate probasse et laetiora numquam incrementa cepisse, quam si dogmatum atque animorum concordiam aluerunt; contra autem ea numquam minus fideles fuisse, quam si discordiarum inter eos lolium succreuit, mutuusque amor elanguit atque exspirauit. Sed eadem quoque consensio mirifice proderat, ad retundendos et confundendos deceptores. Hi enim, quum diuidere soleant, vt imperent, quid lucrari poterant, vbi omnes inter se conspirabant et alter alterum sine fuce amabat, vniuersi se ad persistendum in  
veritate

veritate agnita cohortabantur, et nemo obsequium praebebat eis, qui aliis detrahere instituebant? Agedum itaque, dignissimum hoc officium, prouti apostolus illud de meliori commendavit, penitius nunc ponderemus!

§. III.

Ut vero ordine procedamus, iuvat diuersa momenta exhibere, quae in verbis Pauli occurrunt. Nimirum in excitatione ad consensus studium, v. l. z. de scriptum, habentur

Partitio eius subministratur.

I. ipsa adhortatio v. 2. ubi

a) obiectum ad quod adhortatur; hoc

α) describit: *ut idem sentiat.*

β) principium adhortationi huic conformiter agendi delineat per varios gradus;

Ν) vnum eundemque amorem habentes,

Ξ) vnanimes,

Ξ) vnum sentientes;

b) modus quo adhortatur ad obiectum: *implete meum gaudium.*

II. Motiva ei adnexa v. 1. quorum alia deprompta sunt

a) a beneficiis Dei triuinus; nominatum

α) Christi: *si quid valet adhortatio, Christi nomine et auctoritate prolata.*

β) patris: *si quid valet consolatio patris.*

γ) spiritus S. *si quid valet aliqua communio spiritus.*

b) ab officio, quod Paulo debebant: *si habueritis aliqua viscera et miserationes.*

§. IV.

Accedimus itaque I. ad ipsam adhortationem, quam I. ipsa ad-  
apostolus suppeditauit, eiusque a) obiectum. Prius vero hortatio  
eiusque  
quam a) obie-

Etiam enu-  
cleatur,  
ostenditur-  
que illud  
non constare  
pluribus  
synonymis  
idem signi-  
ficantibus.

quam nostram de eo aperire possumus sententiam, trati-  
figendum nobis est cum doctissimo *Io. Fr. Hombergkio*,  
et qui eius vestigia legit, *Celeb. Jac. Hasaeo*, quorum  
vterque omnes phrasas, quas ad obiectum adhortationis  
retulimus, pro iisdem habet, quod ad sensum, ut nulla  
inter eas dari possit distinctio, non obstante tamen illo  
inanis bartologiae metu. Mentem ille suam aperuit in  
*Paregisi sacris* p. 304. exploso *Beza*, qui verba *iva τὸ*  
*αὐτὸ φρονῆτε* pro genere accepit, cuius species deinde  
commemorentur. Hic vero in *Bibliothecae historico-*  
*philologico-Theologicae Bremensis Classis primae fascicul.*  
V. n. III. p. 707. sequi. nullo alio argumento fultus, quam  
quod scriptura saepissime loquutiones aequipollentes,  
explicationis causa, ex consuetudine tum inter Iudaeos  
Hellenistas more, iungat, et Paulus iis frequentissime  
conglomeratis delectetur. Quumque hoc ipsum qui-  
busdam exemplis docere instituisset, nostro textu com-  
memorato, ita exclamat: *Qui negat, haec singula* (sc.  
*iva τὸ αὐτὸ φρονῆτε-φρονῆτε*) *SENSU convenire, expli-*  
*cet, quanam distinctio sit, et profecto non magnus, sed*  
*maximus erit Apollo.* Emollire quidem aliquo modo  
studuit idem vir sua verba in *Biblioth. Bremens.* Cl. II.  
fasc. VI. p. 1052. sequi. sed rem ipsam tamen retinuit.  
Quemadmodum iam alii viri eruditionis laude praecla-  
ri ab *Hasaeo* dissenferunt, non rati, hic vel magno vel ma-  
ximo Apolline opus esse: ita neque nos cum eo facere  
possumus. Placent nobis egregie, quae b. *Lampius* ad  
h. l. p. 708. scripsit, digna, ut ex parte legantur: *si mea*  
*hic liceat exponere animi sensa, difficiliorum me ali-*  
*quanto in admittendis synonymis ad eandem rem expri-*  
*men.*

mendam a scriptoribus sacris conglomeratis esse profiteor: rimens, ne maiestati stili, ex inspiratione immediata spiritus sancti proficiscentis, inde aliquid deccdat. Quumque dein ad nostrum locum inprimis descendisset, subdit p. 709. Ego sane ignorantiam meam fateri mallem, quam quatuor barum phrasium eundem sensum statuerre. Quantillum enim id a muliercularum plaurinarum loquacitate distaret? Rectissime omnino. Quamuis enim nemo infitias iuerit, occurrere in sacris paginis loca, quae vnum idemque argumentum princeps, quod circa versantur, varia ratione efferunt: vbiuis tamen etiam doceri potest, inesse omnibus vocabulis et phrasibus, quae ad idem redire videntur, diuersos respectus, cum cura a bono interprete, ex vsu vocum ac phrasium, quem habent siue in sacris siue in profanis, atque ex contextu et substrata materia, eruendos. Videatur *Wollii* diss. Praeside *Boernero* habita, de ἱεροδουραμας siue συνωνυμας biblicae vsu et abusu. Ad eundem vero modum habere se in textu Paulino, nunc copiosius enarrabimus.

## §. V.

Vir summus, cuius iam aliquoties iniecta est Vbi tamen mentio. F. A. *Lampius*, cuius castra sequitur b. *Rambachius*, in Collegio Herm. P. II. p. 88. opinantur, apostolum in particulis αὐτο, σου et ἐν climacem obseruare, Et Rambachio tres gradus vnionis fidelium inducere; quorum primus duabus phrasibus ἵνα αὐτο φρονεῖν, quae intellectui conueniret, et ἵνα αὐτο ἀγαπῆν ἔχῃ, quae ad voluntatem pertinere, expressus esset, commendaretque fidelibus, vt

in

in operationibus intellectus ac voluntatis aequalitati stude-  
 rent. Quum autem aequales esse queant, qui tamen nullo  
 haecenus amicitiae vinculo cohaerent; pergere Paulum, ait  
 Vir B. ad gradum secundum, voce *συμφυχοι* perhibitum,  
 quo praeciperetur, ut vinculo quodam spiritali nexi  
 essent. Quod si factum, contendere eos oporteret ad  
 ipsam *εὐσέηα*, tamquam tertium gradum, cuius initia  
 in terris iacta, complementum autem in coelis obtinen-  
 dum esset. At enim vero si Paulus adhortationem ad  
 concordiam per tres gradus describere voluisset; necessa-  
 rium fuisse videtur, ut inceptam constructionem *ἵνα ἴσ  
 αὐτο* continuasset, atque ad eundem modum dixisset:  
*καὶ ἵνα ἦτε συμφυχοι καὶ ἵνα ἴσ ἐν Φρονήσει*. Quod quum  
 non factum sit, videntur potius cuncta, in participio po-  
 sita, non gradibus ab *ἵνα ἴσ αὐτο Φρονήσει* differre; sed re-  
 lationem quamdam, quaecumque demum sit, ad ista  
 verba, obiectum praecipuum complectentia, continere.  
 Vult igitur potius, ut, qui vnum idemque sentire iu-  
 ventur, praesent se inuicem amantes, vnanimes atque  
 vnum sentientes. Deinde vero etiam id durum et diffi-  
 cultate sua laborare autumamus, quod *vnius* officii di-  
 versos gradus, infimum quippe et summum, iisdem fe-  
 re vocabulis delineatos statuat *Lampius*. Porro displicet,  
 quod vltimum gradum in vita aeterna quaerat, quum  
 tamen Paulus de iis loquatur, in quibus esse, et ad  
 quae pertingere, dum hic viuerent, debebant.

## §. VI.

Neque Ros-  
 fallo et  
 Elflero.

*Michael Rossallus*, qui contra mentem *Hafnei* dispu-  
 tauerat, aliam ingressus est, qua rem expedire vult, viam,  
 quae

*Dissertatio inauguralis philologica.*

9

quae legitur *Biblioth. Bremens.* Cl. II. Fasc. VI p. 1649. seq. Nolumus cogitata eius in praesenti examinare, quum de iis iam dixerit *Wolfus* in *Curis Philol.* ad h. l. Celeb. *Elfnerus* maximam partem cum *Lampio* conspirat, im *Briefe des h. Apostels Paulus an die Philippier*; vnde nec his diutius immoramur, nostram potius mentem nunc vberius exposaturi.

§. VII.

Obiectum adhortationis a) *describit: iva 7o avto* Obiecti  
*Φρονησι*, vt idem *sententiaris*, seu *sententiaris inuicem* a) *proponitur de-*  
in doctrinae christianae capitibus. Quum plurimi hanc *scriptio.*  
phrasin, ad voluntatem relata, de mutua concordia  
acceperint, quam vero nos ad intellectum trahimus, et  
de consensu doctrinali stabiliendo explicamus: nostrum  
erit quae ad fulciendam interpretationem faciunt adferre.  
Et primo quidem *posse 7o avto Φρονησι* ad intellectum per-  
tinere, nulli fere dubitationi est obnoxium, quum  
ex profanis pariter ac sacris is huius phrasios vsus proba-  
ri potest. conf. saltim Rom. 15, 5. coll. v. 6. Gal. 5, 10.  
Phil. 3, 16. coll. v. 15. c. 4, 2. adde *Elfnerum* *Obf. T. I.*  
p. 254. Quod vero hic de consensu doctrinali accipi *de-*  
*beat*, probamus, 1) ex immediate antecedentibus, quae  
optime nostra cum sententia coniunguntur. Postquam  
enim eos c. 1, 27. seq. ad constantiam et vt pro fide, vno  
spiritu, vna quasi anima essent, masculae decertarent, se-  
dulo excitauerat; recte ad haec obtinenda pergit, *vt*  
c. 2, 1. *Igitur date operam, vt in doctrinis quoque,*  
quarum causa omnia perferre vos oportet, admodum  
con-

B

con-

consentiat, perspectas veritates firmiter tenentes. Si scilicet in agnitis dogmatibus omnes pertinacissimi erant, eaque cara et pretiosa habebant; fieri nequibat, quin pro iis commune certamen inirent. Quod si vero se a sanctissimae religionis capitibus abstrahi paterentur, atque alter huic alter alii opinioni faueret, atque in varia schismata et sectas abirent: certamen pro fide omnino exulabat. Qui enim ille pro placitis quibusdam certabant a quibus diuortium fecerunt? Qui non recte credit, neque recte viuet; qui sententiam suam pristinam mutauit, non amplius in ea perstat, neque eam serio defendit. *Deinde* nostram sententiam communimus ex iis, quae v. 3. sequuntur, vbi ea remouet, quae excitationi praegressae obstabant. *Nihil*, inquit, facientes *secundum conuentionem aut vanam gloriam*. Quum scilicet eos iussisset vnam profiteri euangelii doctrinam v. 2. eos prohibet, quo minus eius opposito, dissensui ex vana gloria orto, ad veritates laeessendas, vacarent. Efficere illud conabantur falsi apostoli, apud ipsos latitantes, qui circumcisionem iudaicam, cum fide in Christum coniungendam, crepabant. Caeterum si Paulus vult, vt in femel admissis dogmatibus perseuerarent, iisque omnes calculum adijcerent; facile patet, eum de iis, quae ad salutem necessaria erant, loqui; quum eos saepius tolerandos esse praeceperit, qui in non-fundamentalibus a se iniucem dissident.

## §. VIII.

a) Principium ei conformi-

Peruenimus β) ad principium huic adhortationi conformiter agendi. Vnicum tantum fontem designauit apo-



apostolus, ex quo fluxura erat vnanimis coelestium veriter agendi  
 ratum professio, in consensione animorum s. volitionum, determinatur. N) quo-  
 moliminum, dictorum atque aliorum actuum externorum ad gradum  
 positum: quem vero per diversos gradus describit, sigil-  
 latim a nobis considerandos. N) Infimum exhibet ver-  
 bis satis emphaticis: *unum eundemque amorem habentes.*  
 In alios qui amore, s. promptitudine ex eorum felicitate  
 voluptatem percipiendi, feruntur; ab eorum odio absti-  
 nent, invidia eos non prosequuntur, se iis praeferendi  
 studio numquam sunt incensi, absone iis repugnandi ani-  
 mum non habent, rixas et altercationes, et quidquid  
 ipsis molestum esse ac periculosum posset, cuitant. Quod  
 si sit, doctrinas, quarum veritatem cum aliis perspexerunt,  
 numquam deserunt, sed lubentissime cum iis animo  
 profitentur et defendunt. Quae sicuti amor naturalis  
 iam efficere potest, quid ab amore christianorum, a spiritu  
 sancto producto, de quo Paulus loquitur, expectabimus?  
 Ecce igitur Paulini adseri veritatem! quo statuit, sincero  
 amore inuicem flagrantes percepta vera dogmata numquam  
 dimissuros, sed semper retenturos. Ciuitatis sacrae  
 historiam qui mente percurrit, quam saepe deprehendet,  
 ex amoris aliorum defectu provenisse, ut a recto tramite  
 declinantes, alios parui fecerint, et hinc ad explicationem  
 et confirmationem dogmatum ab iis propositorum non at-  
 tenderint, ut contradicendi pruritu, vanae gloriae studio,  
 stolidi ambitione, invidia, aliisque detrahendi vitio  
 laborauerint, et hinc sanctos errores in ecclesiae scandalum  
 protruserint. Conf. Zeltneri diss. *Ambitio haeresum obstetric.*

## §. IX.

2) Quoad  
gradum se-  
cundum.

3) Prouehimur ad secundum gradum eumque  
altiore, quo vult apostolus, vt sint *συμφυχοι*. Vox haec  
sensu Paulino vix alibi occurrit, in libris N. T. non am-  
plius exstat, neque apud LXX. legitur. Hinc tum ad  
etymologiam, tum ad substratam materiam, in notione  
eius determinanda recurrendum est. Etymologiam si  
spectes, *unanimes* seu qui vnā eandemque animam  
habent, dicit. Per hunc vero fontem vox est ambigua,  
vt vel ad vnanimitatem, liceat ita barbare loqui, physi-  
cam, vel ad moralem redire queat. Illam admiserunt  
isti philosophi, qui animas particulas esse vnus essentiae  
diuinā crediderunt, per complures homines quasi disse-  
minatae. Sed cum hac *συμφυχοι* s. animarum identitate  
Paulo nihil est negotii; qui potius ad *συμφυχίαν* mora-  
lem respicit: quod vel ex eo adparet, quod eam mutuo  
amori ad latus ponat, eique *ἵνα ἐν φρονεῖν* succedere iu-  
beat. At vero nostrum est pressius determinare, quid  
per *συμφυχίαν*, amorī contra distinctam, intellectum no-  
bis velimus. Est itaque excellens ille summusque amo-  
ris gradus, quo nos alterum nobiscum vnā eandem-  
que personam moralem constituere arbitramur, ita vt  
felicitatem nostram a felicitate aliorum abstrahi non pos-  
se, sed bonum omnium ac singulorum nostrum bonum  
esse iudicemus. Efficiemus vt haec paullo euadant cla-  
riora. Quemadmodum scilicet amoris varia dantur mo-  
tīua; ita ex his varii illius enascuntur gradus, quorum  
alius alio est excelsior. Modo enim ex eo depromun-  
tur amoris motīua, quod vnus eiusdemque naturae, si  
spe-

speciem spectes, participes sint alii homines, modo ex eo, quod diuersimode nobis prodesse queant et re ipsa etiam inferuiant, modo ex eo, quod Deus homines obligauerit ad alios amandos, et quod ipse homines amet, modo ex eo, quod societatem inuicem colamus, in qua bonum vnus deriuari debet in alios omnes. Quae priori loco commemorauimus motiua, gradus amoris minores fundunt, et ad *συνψυχίαν* non adscendunt; sed amori iam finem imponi sinunt, si vel aliquo modo commodis nostris aliquid ex amore aliorum decedere arbitramur, rati, quod alii post nos, s. quantum nobis plane saluis fieri posset, amandi sint. Cuius vero vltimo loco mentionem fecimus, motiuum, ad hunc gradum propius accedit, ita vt quoque inter naturales virtutes *συνψυχία* locum inueniat, quae nimirum in bono publico, vbiuis spectato, cui bonum particulare numquam non cedit, fundatur. Interim haec naturalis virtus magis pro tenui delineatione et initio, quam pro veri nominis *συνψυχία*, si cum christianorum virtute eam contuleris, habenda est. Quando enim Christi ciues perpendunt, se inuicem vnum habere Deum patrem, vnum redemptorem, vnum spiritum, eadem salutis media, in eadem se versari ciuitate, ad eadem se obstrictos esse officia, se ad vnum eundemque finem, sc. ad amplificandum gloriam Dei, et ad magnificandum Christum, laborare, se vnus eiusdemque salutis compotes futuros, et bonum demum vniuersale verum ac summum bonum esse vnus cuiusque in particulari, et denique hoc praeceptum amoris, qui extendi debeat, quousque fieri potest, esse genuinum verorum Christianorum criterium

Eph. 4, 3. seq. tum sane fieri nequit, quin ea ipsa inter illos *συνψυχία* vigeat, quae facit 1) vt omnium et vnius-cuiusque, quantum eius fieri potest, felicitatem promoueant, mala auertant, ex iis in alios, tum ex se ipsis tum ex aliis in alios, deriuatis, impense gaudeant ex his intime conuidentur, utpote iudicantes, felicitatem aliorum facere ad suam ipsorum felicitatem, atque eo collineare, vt ciuitatis Dei splendor et gloria, magis magisque conspiciatur, infelicitatem contra ea aliorum non minus in se ipsos redundare; vt 2) contenti sint ea donorum et bonorum mensura, quae ipsis concessa est per sapientiam supremi rerum omnium Moderatoris, si vel maxime aliis vberior adiecta fuerit; bene reputantes, sua ipsorum *ὕπερημα* aliorum abundantia largiter in suam ac totius reipublicae christianae salutem compensari; 3) vt ea propter vias eademque foueant propensiones, adeoque inter ipsos obtineat idem velle et idem nolle. Bene ad mentem nostram inquit *b. Lampius* c. l. *συνψυχοι* i. e. *vinculo quodam spirituali, non corpora sed animos colligante, inter se nexi.* Nec non *Rossallus* c. l. *συνψυχοι*, ait, *vt explicet istam amoris paritatem, vult eam esse qualis est vnius eiusdemque hominis in se ipsum, in quo intensionis vel diuersitatis aliquid reperiri non potest, neque etiam fingi, vno scilicet tempore, vnā animam habentes, ὡς μία οὖτος ψυχή,* cuiusmodi quid dicitur de fidelibus Hierosolymis collectis *Act 4, 32. ἅ τῆ ἕσθια, ἀλλὰ ἦν γνώμη καὶ ὁμονοία.* Eandem vim habet vox *ισοψυχος* per vltum biblicum, qua Paulus vtitur *Phil. 2, 20.* de Timotheo loquens; et LXX toties eandem adhibent, quo-

quoties *Alter Ego* fisti debet. Vid. Deut. 13, 6. ebr. v. 7. Pl. 54, 14 ebr. Pl. 55, 14. Conferri etiam cum nostro vocabulo potest ὁμοψυχος, quod apud *Heliodorum* occurrit; nec minus illa descriptio amoris, quam de *Proclo Achilles* dedit, qua ἴσος ἦν κεφαλῆν vocatur, cicante *Hammondo* ad Philipp. 2, 20. Iam vero, ut tandem ad finem veniamus, si Philippenfes vnam quasi animam constituerent, atque vnus quisque alterum tamquam se ipsum amaret: qui fieri potuisset, ut, communis boni, cui doctrina tradita vnice atque egregie inseruiebat, oblitri, in varias a capitibus religionis dissensiones incidissent?

§. X.

3) Breuissimis expediemus, quae ad gradum tertium pertinent, qui potius effectus ex antecedentibus resultans vocari meretur. Si enim mutuum amorem alerent et vnus quasi animae essent: sponte sua sequebatur, ut ἴο ἐν Φρονήσας se gererent. Intelligimus autem eam animorum indolem, qua ad vnum scopum contententes, iisdemque mediis dexterrime vrentes, cogitata sua, suas propensiones, sua desideria, sua destinata, suos sermones, moresque suos vniformiter prorsus determinant. *Elfnerus*, quem supra laudauimus, p. 471. l. c. quamuis alia occasione, adducit verba *Plutarchi* περὶ πολυφιλ. p. 96 quae ἴο ἐν Φρονέειν optime illustrant. Consistit illud nimirum in ὁμολογεῖν καὶ ὁμοδοξεῖν καὶ ὁμοβυλεῖν καὶ συνομοπαθεῖν, in eo, ut in verbis, sententiis, consiliis, et adfectionibus inuicem conspirarent. Quo animo si erant Pauli lectores, non solum procul

2) Quoad gradum tertium;

procul aberat dissensus in rebus, verum etiam nec locum quidem inueniebat dissensus in verbis; Paulusque praeclare obrinebat, quod sub iaitium intenderat: sicuti nos his ita expositis, nos euicisse putamus, apostolum minime gentium, idem quoad sensum, mutatis tantummodo verbis, ad imitationem Hellenistarum dixisse, sed varios potius gradus designasse, quos consecrari Philippenses oportebat, si monito de consensu doctrinali satisfacere vellent.

## §. XI.

b) Modus,  
quo adhortatur.

b) Progredimur ad *modum*, quo Paulus ad obiectum adhortatur, vbi *implete meum gaudium*, inquit. En! paradoxon christianum, gaudere velle, qui nihil rerum externarum habebat, durissima perpeffus erat, alto supercilio a compluribus contemnebatur, atque iam vinculis constrictus detinebatur. At enim vero gaudebat de exoptatissimo gratiae statu, de futura haereditate, de officio apostolico sibi demandato, de insigni fructu, quem hucusque ex eius administratione apud alios promouerat, de afflictionibus propter Christum toleratis, de eo, quod vincula, quae gestabat, rei christianae salutis essent, atque inprimis de eo, quod florentissimam sciret Philippensium ecclesiam. Desiderat vero gaudii, quod eorum causa conceperat, complementum, ex eo obtinendum, si a sana doctrina se dimoueri nullo modo paterentur. Inest de caetero Pauli verbis fortissimum ad persuadendum argumentum. Quam gratum sc. accidere poterat Philippensibus, si Paulus propter ipsos non lugeret, sed hilari animo esset, et, quod magis

gis est, consummato gaudio perfunderetur; tam diligentes eos oportebat esse in tenenda fidei confessione.

§. XII.

Paulus quum probe intelligeret, eam esse animae humanae naturam, ut non nisi motiuis flectatur; ea quoque II. cum adhortatione sua hic loci coniunxit: quae vero eiusmodi sunt, ut fortiora dari nequeant, ad obtinendum suum finem plane comparata. Duplicis generis ista esse deprehendimus; alia enim a beneficiis a Deo in ipsos collatis, alia ab officio, quod Paulo debebant, desumpta sunt; et nostrum nunc est paulo adcuratius ea ad ductum v. l. rimari.

II. Motiua adhortationi adnexa.

§. XIII.

Prodeant itaque a) illa motiua, quae a beneficiis a) A beneficiis Dei repetit; quibus docet, totam trinitatem ex vnanimi professione sanctissimorum salutis dogmatum, quae ex intimo amore proficiscitur, voluptatem percipere, atque Deum triumum vel maxime eum in finem eos beneficiis cumulare, ut de mandato officio fungerentur. Sequamur vero apostolum ea lectorum oculis sistentem! Incipit α) a beneficio quodam Christi, dicens: *ἡ ἴσ παρακλησις ἐν χριστῷ*, si qua exhortatio sc. est, vel aliquid apud vos valet in Christo. Possset quidem vox *παρακλησις* de consolatione capi, sicuti etiam Syrus h. l. eam iuterpretatus est; sed quia eius breui post mentio fit, recte cum aliis exhortationem interpretamur: quam notionem etiam habet Rom. 12, 8. 1 Cor. 14, 3. 1 Thess.

a) A beneficiis Dei Triunius; α) Christi.

C

2, 3.

2, 3. 1 Tim. 4. 13. Ἐν *Χριστῷ* idem h. l. significat ac *διὰ τοῦ Χριστοῦ*, vti legitur Rom. 15, 30. Est igitur exhortatio in Christo ea, quae nomine atque auctoritate ipsius Christi fiebat inter eos; quam veluti ex ore ipsius Christi percipiebant. Sicuti enim hic, quoad inter homines versatus est, coelestes veritates efficacissime docuit, ita suis quoque easdem quam frequentissime commendauit, atque, vt eas fideliter conseruarent, neque vel latum vnguem quidem ab iis discederent, exhortatus est. Quumque, ad patrem abire vellet, discipulis plus simplici vice iniunxit, vt doctrinas ex ipso haustas aliis diligenter inculcarent, constantissimeque seruandas praescriberent. Qui vltimos Christi sermones a Ioanne c. 13-17. commemoratos euoluit, plura eius rei testimonia deprehendet. Paulus igitur quando cum Philippenfibus agebat; neque se ipsum praedicabat, neque ex semetipso loquebatur, sed non nisi nomine Christi, eo iubente, eo discutante, eius merito nixus, agebat, *προσθεωων ὑπὲρ Χριστοῦ*: et quando eos ad vnanimem constantemque fidei professionem exhortabatur; exhortabatur nomine Christi, quasi Christus ipse exhortaretur. 2 Cor. 5, 20. Exhortationem vero Christi, etiam per apostolos administratam, pro maximo beneficio reputari debuisse a Philippenfibus, is demum intelliget, qui ignorantiam hominum naturalem in negotio salutis, quam Christus, perfectissimus doctor, suarum doctrinarum luce sustulit, et spiritua-lem aediam, quae etiam in conuersis conspicitur, aequa animae lance ponderat. Quae quum ita sint, Paulus sapienter exinde motiuum depromit ad veritates tuendas, dicens: si alicuius momenti ac ponderis apud

VOS



vos est exhortatio, a Christo profecta et nomine eius iam prolata etc. Memorabile nobis videtur, praeunte *Wolffo* in *Curis* ad h. l. quod eadem fere obtestandi formula etiam I Cor. 1, 10. existet, quando apostolus similiter in eo est, ut ad consensum doctrinalem adhortetur. Dicit enim: *adhortor vos, fratres, per nomen Domini nostri I. C. ut idem dicatis omnes et non sint inter vos schismata.* Haud inepte exinde concludimus, superius a nobis traditam explicationem obiecti principalis rite se habere, dum ex loco allegato constat, Paulum hoc motiuum cum supra designato officio coniungere consueuisse. Caeterum illud vnicum adhuc addimus, particulam *ei*, quam Paulus motiuo praemittit, rem non dubiam facere, sed ut certissimam praestruere, et vehementer adfirmare, hoc sensu: si quid valere potest apud vos - - multum autem valere, certissime scio.

## §. XIV.

β) Alterum motiuum desumit a beneficio Patris β) Patris. quod h. m. effert: *ἐἰς τὴν παραμυθίαν ἀγάπης*, si aliquid apud vos valet *consolatio amoris patris*. Vox *παραμυθίαν* non nisi h. l. in libris N. T. occurrit; frequentius vero legitur alibi e. c. in *Platone*, *Thucydide*, *Dionys. Halicarnas.* nec non in *Iosepho*, et *Sapient.* 3, 18. Synonymon fere eius est, et quoad sonum quoque cognatum, *παραμυθίας* vocabulum I Cor. 14, 3. Differunt tamen in eo, ut *παραμυθία* proprie actionem consolandi s. consolationem, *παραμυθίαν* vero vi formae suae illud denotet; quo fit consolatio s. quod ad consolandum ad-

hibetur, quo quis in consolando altero vitur. Atque hic significatus nostro textui apprime conuenit. Significat enim id, quo delinitur, mulcetut atque ad quietem reducitur animus. Eleganter hoc *Syrus* expressit per *loquutionem ad cor*. In compositione uocum: *παράμυθιον αγάπης*, uidetur substantiuum pro adiectiuo positum esse, ut sensus sit: si aliquid apud uos ualere potest amor solatii plenissimus, solatium habens et adferens etc. Queritur autem: cuiusnam amoris mentionem faciat apostolus? Omnes quidem in amore quodam actiuo hic consentiunt; sed miramur merito, plurimos de amore mutuo, quo Philippenses in apostolum et se inuicem ferantur, cogitasse; quum de eo demum sub finem commatis agatur. Nescimus etiam, qui fieri potuerit, ut *Elfnerus* ad h. l. amorem Christi s. in Christo exhibitum intellexerit: quum 1) quilibet, dummodo amoris beneficium quibusdam beneficiis Christi et spiritus sancti interpositum esse audit, vel sponte sua et nemine monente, ad patris amorem cogitandum trahatur. Cui 2) accedit, quod amor patris in saluandis hominibus ab aeterno occupatus, in missione Christi illustrissime manifestatus, atque in procurata adplicatione meriti eius maxime conspicuus, in S. S. toties totiesque extollatur, atque adeo fortissimum aliquod motiuum ad recte credendum ex eo deduci queat, conf. Ioan. 3, 16. Rom. 5, 5. 1 Ioan. 3, 1. 9. 10. Quibus addimus 3) etiam 2 Cor. 13, 13. cum communiione spiritus sancti, mentione prius facta beneficii a Christo profecti, patris amorem ab eodem Paulo coniungi; ut proinde dubium nullum superesse queat, quin idem nostro in textu factum sit. Quia igitur amor patris

patris in Philippenſium quoque animis quam largiſſime effuſus erat, ipſique illius dulcedinem intime ſenſerant, et adhucdum in cunctis aduerſis experiebantur; iure optimo per eum amorem ſolatii et mulcimenti foccundiffimum, commouere eos poterat ad ſatiſfaciendum officio. Sed preſſius determinandum eſt, qui Paulus ex amore patris inferre potuerit, ipſorum eſſe, vt conſenſui doctrinali omnes ſtuderent: nonne, inquis, amore patris frui poterant, quamuis vel maxime doctrinas diuerſas ſectarentur? Minime vero. Non loquitur apoſtolus de amore generaliori, ad omnes res creatas, homines renatos et non renatos pertinente; ſed de ſpeciali imo ſpecialiſſimo, ad adplicandam ſalutem contendente, qui vero in Chriſto, per et propter Chriſtum vnice locum inuenit. Si igitur omnes vellent amoris huius paterni compotes eſſe, omnium quoque erat, vt doctrinam a Chriſto propoſitam et de Chriſto tractantem, et amplecterentur et vnanimiter tenerent. Porro, ſenſus amoris patris non poterat non in fidelibus amorem tum erga patrem tum erga Chriſtum efficere. Ioan. 8, 42. patrem vero et Chriſtum qui amat, doctrinas a patre filioque profectas, conſeruat; et hoc demum modo certus eſſe poteſt, patrem ipſum porro amaturum eſſe. Ita ipſe Chriſtus ratiocinatur Ioan. 14, 15. 21. 23 et Paulus quoque 2 Cor. 13, 11. quando Corinthios ſub ſinem ita compellat: *idem ſentite, pacem colite, et ſic demum Deus amoris ac pacis vobiscum erit.* Quid, quod? ex amore Dei erga homines fluit alios ſincere atque impenſe amandi obligatio. Si vero alii alios amabunt; tum procul eſſe iuſſo prauorum adfectuum tumultu, pacate

omnes in vna eademque doctrina perstabunt: quod supra iam obseruauimus, quum de principio monitis Pauli conformiter agendi verba faceremus. Nunc vero, vt opinamur, constat huic motiui sua virtus, sua efficacia. Si recte, ait, a vobis aestimatur, quod vos praestituros esse confido, amor Dei, omnium solatio- rum plenissimus, qui vobis obrigit, vbi Christum eius- que dogmata suscepistis, et qui amorem aliorum postulat; tum hanc mihi conciliate gaudii, quo ego vestrum causam hucusque perfulsus sum, consummationem, vt verita- tis semel agnitae capita, proscripta omni ambitione, inuidia et rixarum lubidine, perrenniter conseruetis.

## § XV.

Succedat  $\gamma$ ) illud motiuum, quod a beneficio spiritus sancti peticum est. *Ἐν τῆς κοινῆς πνευματικῆς*, si aliquid apud vos valet, vel *si apud vos datur quaedam communio spiritus sc. sancti* vti *Aethiops* addit. Habitat spiritus sanctus in cordibus, atque cum iis se vnit; vnde non potest non nasci suauissima cum ipso communio. Haec autem communio infert, Philippenses participes factos esse operationum ac donorum spiritus sancti in conuersio- nis et regenerationis negotio; ductus eius atque operum per ipsum effectorum in sanctificatione, et fructuum il- lius, qui longa ferie describuntur Rom. 14, 17. Galat. 5, 22. Parit haec communio cum spiritu vnionem et commu- nionem cum patre et filio i Ioan. 1, 3. et communionem cum sanctis omnibus seu ecclesia. Si itaque fideles, ad quos apostolus orationem dirigit, in communionem cum spiritu S. versabantur, quod vtiq; adfirmandum erat;

$\gamma$ ) Spiri-  
tus S.

erat; inter eius autem operationes merito referebatur, vt de veritate eorum animi conuicti atque in omnem ad salutem necessariam veritatem ducti essent; vnde nomine spiritus veritatis venit; et porro eius fructibus amor aliorum haud fucatus nec non pacis cultura accenseri debet: tum Paulus summo iure postulare poterat, vt, sincero amore erga se inuicem imbuti, a veritate ex hoc doctore percepta nihil quidquam discederent; immo spem poterat alere certissimam, fore, vt sententiarum essent tenacissimi.

§. XVI.

Considerata priore motiuorum classe, transitus b) ad posteriorem, vnicum, sed non minus graue *ex officio*, quod Paulo debebant, deriuatum, complectentem. *Εἰ ἢ ὡς σπλαγχνὰ καὶ ὀκνημοὶ*, si aliquid valent apud vos, i. si apud vos dantur viscera et miserationes. Adest h. l. *ἐν διαδωῶν* s. vna eademque res duobus substantiuis exprimitur. *Σπλαγχνὰ* enim et *ὀκνημοὶ* procul dubio idem significant, ac *σπλαγχνὰ ὀκνημῶν*; quae loquutio occurrit Coloss. 3, 12. *Σπλαγχνὰ* viscera, cumque iis cor, significant. Quia vero amor, quo aliquis accensus est, pro animae cum corpore consortio, praecipue se exerit in magis accelerato et crebriore pulsu cordis, ac commotione omnium viscerum; hinc factum esse videtur, vt tam Hebraei quam Graeci viscerum voce *amorem* eumque tenerrimum, cuiusmodi obseruabatur in Iosepho cum fratribus suis agente Genes. 43, 30. et in matre erga prolem, in vtero sub corde gestatam et foram 1 Reg. 3, 26. designauerint; vid 2 Cor. 7, 15. *Phil.* 1, 8. Ad eundem

b) Ab officio, quod Paulo debebant: vbi ante omnia voces expli- cantur;

dem modum apud scriptores latinos *viscera* vocantur intimi caritatis adfectus; quod testimonio *Sulpitii Severi* iam confirmavit *Suicerus Thef. Eccles. T. II. p. 998.* cui adiungimus *statium silu. III. 5. 30.* qui: *me visceribus complexaruis* dixit; ad quem locum plura exempla congestit *Barthius.* *ὄνισσπος* denotant speciem amoris, qui sc. in miseros exercetur, et *miseri cordiae* nomine venit. Pluralem adhibet Paulus maxima cum emphasi, ex quo cum praecedente voce sumto sequens emergit sensus: Si datur apud vos intensissimus ille amor, ex interioribus animi ortum sumens, qui omnibus miserationum modis se prodit erga illos, qui cum calamitatibus constanter etc.. Quando autem apostolus Philipenses vere ad Deum conformatos adloquitur facile est ad intelligendum, ipsi minime omnium de naturali amoris et misericordiae adfectu, sed de illa animi indole, quae a Deo ipsis indita erat, et qua Deum imitabantur, cui *Luc. 1, 78.* *Viscera misericordiae* tribuuntur, et qui *2 Cor. 1, 3.* *pater misericordiarum* vocatur, sermonem esse.

## §. XVII.

Dein ostenditur, h. l. non agi de beneficio quodam diuino;

Sed nunc adcuratius disquirendum est, quisnam ille sit, qui tanto amore flagrat, et in quemnam tenerissimo illo amore, pleno misericordiarum, feratur? Existimat *Elfmerus* l. c. p. 489. capienda haec esse de misericordia Dei, qua fideles prosequitur, sicut pater filios *Pf. 103, 13.* et mater suum ipsius foetum *Ef. 49, 15.* cuius commemoratio promptos eos reddere potuisset ad obsequium praestandum. Fatemur alibi etiam e. c. *Rom. 12, 1.* exhortationes

tionem apostolicam suffulciri motiuo a misericordia Dei desumpto: quo minus tamen sententiae Ellnerianae subscribamus Paulus obstat, 1) quod, quum, iam trium motiuorum a Trinitate petitorum, cuius personas insuper discrete nominibus expresserat, mentionem fecerit, probabile non sit, eum quartum ab eadem Trinitate petiturum esse, nulla adiecta nominis *Dei* significatione, aut saltem adiunctione particulae *na*: 2) quod, admissa hac interpretatione Tautologia mera adpareat, quia hoc quartum motiuum ita formatum plane concideret cum secundo. Vtrum enim dicas, *amorem Dei omnis solarii plenissimum*, an vero *amorem Dei omnis commiserationis plenissimum*; res sane perinde se habet. Haec vero ferenda non esse in stilo Pauli sapientissime temperato, cuius obuium est.

## §. XVIII.

Neque magis adrident, quae in sequentibus p. 480. tradit vir doctus, opinatus, posse etiam haec ad beneuolentiam et misericordiam erga se inuicem trahi, qua incitandi fuissent Philipenses ad exsequenda ea, quae Paulus v. 2. commendat. Haec si statuuntur, apostolus denuo manifestissimae tautologiae reus fit. Vult enim v. 2. ut quam amicissime in dogmatibus christianae religionis conspirarent: id vero ipsos facturos esse docet, si intimo amore inuicem adfecti essent. Quomodo itaque Paulus ad consensum doctrinalem, ex amore intimo deriuandum, mouere suos poterit per amorem miserationum plenum? Quilibet per se videt, hac ratione principium agendi et motiuum ad agendum prorsus ad vnum idem-

Neque de officio quod sibi inuicem debebant;

D

idem-

idemque redire. Quod nisi inanem loquacitatem verba-  
que sensu vacua pariat; nescimus, quid parere cam  
queat.

## §. XIX.

Sed de of-  
ficio Paulo  
debito:

Rectius igitur cum *Hammondo* in *paraphrasi*, et  
*Wolfo* in *Curis* verba ad tenerimum illum, quem iure  
suo a Philippensibus ipse Paulus exspectabat, adfectum,  
sc. ad miserationem interiorem, quam sibi tamquam eius  
ad ipsos legato, et beneficiorum eius interpreti, nunc  
quidem calamitatibus presso, et hoc magis recreando,  
omnino debebant, referimus. Quo praestructo, insigne  
exsurgebat motuum, quod animos Philippensium haud  
leuiter percellere poterat. Vos, ita fari videtur vir diui-  
nus, vos inquam non fugit, omnes miseros, praecipue  
vero miseriam non meritos, interque eos potissimum  
me, euangelii causa infinitis calamitatibus obseptum, et  
nunc vinculis constrictum, ad felicitatem vero vestram  
vnice intentum, vestrum flagrantissimum amorem, ve-  
strasque miserationes iure postulare atque implorare pos-  
se, quas quoque mihi minime denegaturos esse certis-  
sime mihi persuadeo. Si igitur mei causa misericor-  
dia tangamini, eiusque publicum edere volueritis testi-  
monium: agite, eo curas vestras dirigite, vt in veritate  
agnita vnanimi consensione persistatis.

## §. XX.

Quod con-  
tra obie-  
ctionem  
defenditur.

Duriora fere sunt, quae hic *Elfnerus* contra no-  
stram sententiam pronuntiat, quando ait, cum Pauli  
constantiam animumque fortem superari nesciam ignorare,  
qui de ipso exoratum commiserationem praedicaret, fu-  
turum-



rumque fuisse, vt Philippenses tam lamentabiliter concepto desiderio perterrefecisset et prostrauisset. Haec forte celebri viro non excidissent, si perpendisset apud se, non inter se pugnare, vt idem Paulus vno eodemque tempore et loco, ex alia caussa tristitia se circumfulum, et hinc miserationis indigum; ex alia vero gaudio maectatum se dicat. Homo erat, et nihil humani a se putabat esse alienum. Itaque e. c. non poterat non dolere de eo, quod nonnulli ex inuidia et contentionis studio, Christum adnuntiarent c. 1, 15. et quod id haud caste facerent, adfectionem vinculis suis nouam addituri v. 16. Quotusquisque autem erat bonae mentis homo, qui ea propter vices apostoli non doluerit, lubensque omnia ad eum iterum rescillandum egerit? Quia autem nihilo minus, praeter aduersariorum intentionem, hoc ipsum ad diulgandum de Christo euangelium aliquid conferebat, de eo, ἐν ἡσῶ, eius rei gratia gaudebat, et se in posterum quoque gauisurum esse adfirmat v. 18. Quis vero sibi, recte animatus, temperare poterit, quin cum apostolo gaudeat, eique de felici exitu gratuletur? Et quid, quaesumus, verbis opus est, vbi Paulus ipse, tanto animi robore praeditus, c. 2, 27. profitetur, se, si Euphroditus, qui morti vicinus fuerat, vitam deposuisset, tristitiam super tristitiam Romae, vbi vinculis tenebatur, habiturum fuisse? Nolumus alia coaceruare loca, quae similiter mox tristitiae Paulinae, mox gaudii, mentionem iniiciunt; intactam interim relinquere non possumus posteriorem ad Corinthios epistolam, quae, vt vt multoties Pauli gaudium ac gloriationem significet, testis tamen est, eundem Paulum aequissimo animo ferre

potuisse 2 Cor. 6, 12. Corinthios sui causa *angustari in visceribus suis* s. prae intensissimo erga ipsum amore. Quo minus vero animi Philippensium propter conditionem Pauli frangerentur, quod veritus est vir beatus, cogitare modo debebant, operam propterea dandam esse, ut ille ex moribus suis non tristitia, sed gaudio, quod recte sentiendo et benefaciendo promouere poterant, inibueretur. Praescripsit sane hanc legem Paulus Corinthiis 2 Cor. 2, 2. 3.

## §. XXI.

Tota tractatio monito aliquo finitur.

Explicuimus itaque motiua, quibus vir sanctus Philippenses ad tuendam sanctiorem doctrinam pellicere studuit. Numerum si spectes, totidem attulit, quot postulata v. 2. proposuit, ita ut cuius fere suum adiunxerit motiuum. Excellentiam vero eorum si intuearis, tanta sane est, quanta potest esse maxima. Non enim illa ex philosophia, cui in aliis suum premium, sua laus est: sed quum in grauiore salutis negotio versaretur, ex intimioribus Theologiae reuelatae hausit; quo ipso aliis in simili negotio haerentibus, exemplum praeiuit imitatione dignissimum. Verum haec monuisse sat est.

S. D. G.



PRAE-

PRAENOBLISSIMO DOCTISSIMOQUE HONORVM  
PHILOSOPHORVM  
C A N D I D A T O

S. P. D.

IOANNES FRIDERICVS STIEBRITZ.

**P**er aliquot annos in Academiis commorari posse, inter beneficia divina referendum est; tempus vero rite collocasse, diligentiam virtutemque demonstrat; at speciminibus luculentis ad quos profectus palam facere, laudem singularem meretur. TIBI, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, ea contigit felicitas, ut ultra triennium in alma hac Fridericiana ad literas incumbere poteris; simul vero quod *Tuarum* partium erat praestitisti, cum nullum facile diem absque linea praeterlabi passus fueris. Eum in finem frequentasti scholas Theologicas Virorum Ven. *Baumgartenii*, *Knappii*, *Struensii* et *Freylinghausii*; Philologicas et antiquarias Excell. *Simonis*, cl. *Hafsi*, nec non meas; denique etiam Mathematicas et Philosophicas Virorum Celeberrimorum, *Meieri*, *Weberi* atque *Eberhardi*; ut nihil iam dicam de cultura linguarum occidentalium et Musices, in quibus addiscendis haud vulgarem operam posuisti. Supererat, ut antequam sarcinas colligeres, progressus in studiis factos tum commilitonibus, tum Praeceptoribus, tum Patronis ostenderes. Neque hac in re *Tibi* defuisti: Sicuti enim iam antea priuatim publiceque disputando, quid valeant humeri, quid ferre recusent, significaueras; ita etiam *Te* nuper Incluy ordinis Philosophici Professoribus, examen honorum Philosophicorum obtinendorum causa subiturus, stitisti, *Tuamque* in soluendis quaestionibus propositis dexteritatem ita iis probasti, ut nulli dubitauerint eos in *Te* conferre, simul ac specimen inaugurale ventilasses. Accessisti itaque, me auctore, ad illustrem aliquem Pauli textum, eius verum sensum indagaturus, et eundem ab obiecto *Tauologus* crimine vindicaturus. Atque hic ipse conatus ita *Tibi* successit, ut mihi persuadeam,

E Te

*Te* quamvis angustissimis temporis cancellis circumscriptum aequis lectoribus fecisse satis. Quae cum ita sint, habeo, cur *Tibi* valde gratuler de finito cursu academico, de compluribus diligentiae documentis, quibus praeterea propediem dissertationem argumenti theologici addes, nec non de praestito summi Numinis auxilio, Deum precatus, vt *Tibi*. ad patrios lares reducto, amplissimas occasiones sufficiat de aliis, de litteris, atque imprimis de ecclesia, bene merendi. Vale et in posterum quoque me ama! Dabam d. XVII. Dec. MDCCLIV.

ELEGANTISSIMO BONARVM ARTIVM  
**M A G I S T R O**

S. P. D.

CHRISTIANVS GODOFREDVS HASIVS  
PHIL. D. FAC. AC. PHILOSOPHICAE ADI.

**E**ximium mente sibi dedita admodum persentisco gaudium, animaduertens, non ad Magistri honores qualescumque adspirantem digne solum, sed etiam non obstante honorum comperentium *Tibi* cumulo quasi addito eundem adhuc animi rebus meis nequaquam alienati modum *Te* tenentem. Quae cum ita sint, animum subito merito inter nos feliciter transacti negotii eruditi recordatio et magna dulcedine sua et fructu suo largissimo nobilis minimeque expellenda. Breuiter interea ac compressis id dicam verbis quod si non *Tua* certe mea causa non omni praetereundum silentio habeo. Postquam scilicet innotueras mihi primo statim tui ad nos aduentus tempore, exemplum ciuium *Tuorum* a me prae caeteris in corde sinuque ferendorum imitatum *Te* deprehendi lectionum mearum auditorem vigilantem. Familiarius deinde vsus *Te* met ipso sum, cum priuaticissimas scholas ad hoc vsque tempus continuatas, fere nectendi initium faceremus. His itaque gestis, ob seruati animum ad litteras apte conditum, acumen mentis haud vulgare, optimamque ad erudite et pulcre sentiendum indolem in *Te*, Amice honoris cultu maclandae! Quocirca gratulor mihi congressum publico actu *Tecum* et nunc et paullo post

ua

ua tam instructa acie instruendum, viribusque *Tuis* tentandis atque palam proferendis destinatum commodissime. Vorum meum candido ex pectore depromptum habes hic, vt *Tibi* omnia et nunc et in posterum domi ex voto succedant prospere, fortunante Deo Sancto Benedicto, promotore vero nostrae felicitatis honorumque beatissimorum vsque in saecula. Vale in Fridericianam d. XVIII. Dec. c1o 15 ccliv.

AVCTORI AC DEFENSORI  
HVIVS DISSERTATIONIS CLARISSIMO,  
**C A N D I D A T O**  
HONORVM PHILOSOPHORVM DIGNISSIMO  
S. P. D.  
IOANNES EBERHARDVS GOSSEL  
OPPONENS.

**C**um in conflictu solemnī, quem in patriam reuersurus summi in philosophicis honoris capeffendi gratia subis, socium me eligere volueris: inhumanitatis certe ac id meo quidem merito accularer, *Amice aestumatissime* si occasione hac exhibita animum, non multis solum modis *Tibi* deuinctissimum, verum etiam de felici rerum *Tuarum* successu *Tecum* semper congratulantes testificari nollem. Quamprimum enim Fridericianam nostram accedere mihi licuit: statim me amicorum numero accensere dignatus es, ac postea amici partibus ita in me semper perfunctus es, vt nunquam in gratiam *Tecum* redierim. Ac ne forsan de continuanda hac amicitia dubitarem sed de confirmanda eadem potius certus essem: dissentientis spartam in certamine publico mihi iniungere voluisti. Pro cunctis itaque hisce favoris in me *Tui* singularis speciminibus gratias *Tibi* ago, quas possum, maximas, ac easdem me semper non habiturum solum, verum etiam, quantum ego quidem unquam potero, relaturum ac reapse declaraturum esse promitto. Sed vt multa in *Te* deprehendo, *Amice aestumatissime*, quae gratiarum actionem a me poscunt; ita multo adhuc plura, quae gratulationem, Ingenium enim excellens, a natura *Tibi* concessum, cuius

cuius dotes assiduo exercitio mirum in modum auxisti; honores philosophicos, quibus dignus iudicatus es; dissertationem hanc doctissime a Te elaboratam; virtutes, quibus splendes, eximias nemo non, qui Te nouit, Tibi gratulabitur. Huic gratulantium choro etiam me nunc associo, ex animo Tibi a summo rerum arbitro apprecatus, ut quod semper enixus es, cuncta Tua conamina in maximum ecclesiae emolumentum ac insigne Parentum Tuorum ac omnium, qui bene Tibi capiunt, gaudium cedant felicissime! Me interim ut etiam absens fauore solito prosequi ne dedigneris, id est quod etiam atque etiam a Te peto. Caeterum in patriam redux cura semper ut valeas. Halae d. XIX. Decembr. clo lcccliv.

*Monsieur,*

L'amicie mon tres cher Ami, que Vous m'avez temoignie, depuis que j'ai eu l'honneur de lier conversation avec Vous, m'oblige de Vous en rendre beaucoup de graces. Il ne aut tant avoüer, que Votre compagnie ne m'a pas été seulement fort agreable, mais j'en ai aussi beaucoup profite. C'est pourquoy permettez moi mon tres cher Ami, de Vous offrir à cette occasion ce peu de lignes. Vous avez a present fait voir le profond savoir que Vous avez acquis par Votre diligence & assiduité. Vous avez montré que Vous êtes digne d'être compté au nombre des savants. Je me regarderois comme fort insensible, si je ne prenois part au bonheur qui vient de Vous arriver. Pour Vous convaincre que je suis fort éloigné de cette insensibilite. Je Vous en felicite de tout mon cœur, & je ne souheterois rien plus, que Vous pouvoir temoigner la joye que j'en resertri. J'avoüe être hors d'état de Vous donner le louange que Vous meritez, mais je scair aussi, que Votre exacte vertu ne le desire ni re paimé. C'est pourquoy je finis, et e n'ajoute rien que mes veux ardens & sinceres pour Votre prosperité. Cependent souvenez Vous d'un ami que Vous avez trouvé an toutes les occasions le plus sincere du monde. Je suis.

*Monsieur,*

Halte ce xx. Decemb.

1754.

Voire tres humble Serviteur

T. H. W. GREMS.

01 A 6554

ULB Halle  
002 931 222

3




R









B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QVA

LOCVS

EPIST. AD PHILIPP. C. II, I. 2.

A

TAVTOLOGIAE VITIO  
LIBERATVR

QVAM

CONSENTIENTE

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
PRAESIDE AC PROMOTORE

VIRO

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO

DOMINO

IOANNE FRIEDERICO STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE OECONOMIAE

POLITICAE ET CAMERALIVM PROFESSORE

ORDINARIO

FAVTORE AC PRAECEPTORE

EXIMIO OMNIQVE ANIMI

ADEFECTV COLENDO

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
RITE CAPESSENDIS

D. XXIV, DECEMBER. A. MD CC LIII.

TVEBITVR

AVCTOR

IOAN. HENR. SCHMID

FRISO-ORIENT.

HALAE

EX OFFICINA GVRTIANA.